Quelle: https://manuscripta.at/?ID=409
Copyright: Klosterneuburg, Augustiner-Chorherrenstift

petrus dixisset tu es christus filius dei uiui re-
sponsum accepit: beatus es symon bario-
na quia non tibi reuelauit caro et sanguis sed
pater meus qui in celis est. Quamuis illa reue-
latio utrum per fidem tante rei crediti
an per uisionem conspecte facta in eius mente
fuerit non mihi uidetur elucere. cum et ipse
petrus tam paruulum se adhuc illi osten-
derit ut timeret ne amitteret mori-
entem quem filium dei uiui hoc est uite fon-
tem fuerat paulo ante confessus. Deinde potest XIIII.
mouere quomodo iam ipsa dei substantia uideri
potuerit a quibusdam in hac uita positis,
propter illud quod dictum est ad moysen nemo
potest faciem meam uidere et uiuere: nisi quia
potest humana mens diuinitus rapi ex
hac uita ad angelicam uitam antequam
per istam communem mortem carne soluatur.
Sic enim raptus est ille qui audiuit ineffabi-
lia uerba que non licet homini loqui. ubi
usque adeo facta est ab huius uite sensibus quedam
intentionis auersio. ut siue in corpore
siue extra corpus fuerit. id est utrum sicut solet in
uehementiore extasi mens ab hac ui-
ta in illam uitam fuerit alienata manente
corporis uinculo an omnino resolutio
facta fuerit qualis in plena morte contingit nes-
cire se diceret. ita fit ut et illud uerum sit
quod dictum est. nemo potest uidere faciem meam
et uiuere: quia necesse est abstrahi ab hac
uita mentem quando in illius ineffabilitatem
uisionis assumitur. et non sit incredibile
quibusdam sanctis nondum ita defunctis ut se-
pelienda cadauera remanerent. et istam
excellentiam reuelationis fuisse concessam.
Quod existimo cogitasse illum qui noluit
dicere: nec apostoli christum uidebant. sed ait: nec
apostoli omnes christum uidebant. credens quosdam
eorum diuinitatis quoque ipsius uisionem de

qua loquebatur etiam tunc potuisse donari. cer-
te propter beatum paulum. quia et ipse quam-
uis nouissimus utique apostolus erat. qui de sua
illic ineffabili reuelatione non tacuit. quare quisque
et illi antiquo fidelissimo famulo dei mo-
ysi miretur non in hac terra laboraturo. populoque
illum adhuc recturo concessum esse quod petiuit.
ut claritatem domini uideret cui dixerat. si
inueni gratiam ante te ostende mihi temet-
ipsum manifeste. Accepit enim in presen-
tia congruum responsum. quod faciem domini ui-
dere non posset quam nemo uideret et ui-
ueret: hoc modo deo significante alterius po-
tioris uite illam esse uisionem. Deinde in uer-
bis domini future christi ecclesie misterium figu-
ratum est. Gestauit quippe moyses typum
populi iudeorum in christum passum postea credituri.
ideo illi dictum est. cum transiero posteriora
mea uidebis et cetera que ibi dicuntur: mira-
bili sacramento prenuntiante ecclesiam
post futuram. unde modo longum est disputa-
re. Quod autem dicere institueram desiderio eius
etiam illud quod petierat fuisse concessum.
in libro numerorum postea demonstra-
tum est. ubi dominus arguit contumaciam soro-
ris ipsius. et dicit aliis prophetis in uisione
se apparere et in somnio. moysi autem per spe-
ciem non per enigmata. Ubi etiam addidit dicens.
et gloriam domini uidit. Quid ergo est quod eum sic fecit
exceptum. nisi forte quia illa contemplatione
dignum etiam tunc habuit populi sui talem rec-
torem et ministrum in tota domo sua fi-
delem. ut quemadmodum concupierat uideret
eum sicuti est. Que contemplatio cunc-
tis filiis in fine promittitur. XVI. Ista credo consi-
derans uir ille sanctus cuius uerba tractamus.
nec apostoli inquit omnes christum uidebant:
quoniam forte aliqui eorum et ipso tempore ui-
derant secundum ista que dixi. Sit autem

Potest moueri quomodo ipsa dei substantia uideri potuerit a quibusdam in hac uita positis.

Quod qui cognouit que sit latitudo. longitudo. altitudo. et profundum. uidit et christum. uidit et patrem.